In illa ſunt tot perſonæ quot diverſi flexus cognationis eâdem tamen diſtantia. *Flexus* autem *cognationis*, voco ipſa velut itinera in arbore conſanguinitatis, lineas angulosque dum modo ſurſum deorſumve modo in latus itur. In hac non ſolùm flexus cognationis varietatem facit, ſed & ſexus tum intermediarum, tum perſonæ cujus diſtantia quæritur à data. In illa enumeratione Patruus, Amita; id eſt, Patris frater ſororve: Avunculus, Matertera; id eſt Matris frater ſororque, habentur pro eadem perſona, & convenientisſimè intelliguntur in voce *Patrui*, quia maſculinus dignior fœmininum comprehendit. Sed in enumeratione ſpeciali habentur pro 4. diverſis perſonis. Igitur illic *cognitiones*, hîc *perſonæ* numerantur: (Sic tamen ut plures fratres, vel plures ſorores quia ne ſexu quidem variant pro una utrobique perſona habeantur) illa generalis computatio eſt *Caji in l. 1. & 3.* (quanquam ſpecialis nonnunquam mixta eſt) hæc ſpecialis Pauli in grandi illa *l. 10. D. de Grad. & Affinibus.* Etſi autem prior fundata eſt in prob. 1. & 2. quia tamen poſterioris fundamentum eſt, quæ huc per-

17 tinet, præmittemus. *Cognatio* eſt formæ linea vel linearum à cognata perſona ad datam ductarum; ratione rectitudinis & inflexionis, & harum alternationis. *Perſona* h. l. eſt Perſona datæ cognationis, & dati gradus, ſexusq; tum ſui, tum *intermediarum*, inter cognatam ſcilicet & datam. *Datum* a. voco perſonam, eum eamve, de cujus cognatione quæritur ut appellant JCti veteres; Joh. Andreæ *Petrucium* nomine ſui Bidelli fertur nominaſſe: Fr. Hottomannus lib. de Gradib. Cognationum,

18 ὑποθελικὸν, latinè *Propoſitum*. *Terminus* eſt perſona vel cognatio, quæ eſt de conceptu complexæ, v.g. *frater* eſt Patris filius. Igitur *Patris & Filius*, ſunt Termini ex quibus conceptus Fratris componitur. Termini autem ſunt vel *primi*, tales accuratè loquendo ſunt hi ſolùm: Pater & filius, nos tamen commodioris computationis cauſa, omnes perſonas lineæ rectæ vel ſupra vel infra; ſupponemus pro primis; vel *orti*: accuratè loquendo omnes qui plus uno gradu remoti ſunt à Dato; laxius tamen, omnes transverſales tantùm. Omnes a. transverſales componuntur ex duabus terminis lineæ rectæ; hinc & facillimum prodit artificium data quæcunque cognata numerum gradus complexæ, v. g. in ſimplicisſima transverſalium perſona, *Fratre* ſeu Patris filio, quia Pater eſt in 1. filius etiam in gradu, 1 † 1. f. 2. in quo eſt Frater. Cæterum Schemate 19 opus eſt. Eſto igitur hoc:

Gr. Cognationes										Perſonæ	Gr.
					DA.TUS						
1. Patris 2			*Patris.*				*Filius.*			4 Filius	. 1
2. Avi 3					FRATER 1.1					12 Nepos	. 2
3. Proavi 4				Patruus 2.1		Patruelis 1.2				32 Pronepos	. 3
4. Abavi 5			Patruus Magnus 3.1		Conſobrinus 2.2		Patruelis parvꝰ 1.3			80 Abnepos	. 4
5. Atavi 6		Subpropatruꝰ 4.2		Subpatruꝰ Magnus 3.2		Subcōſobrinꝰ 2.3		Propatruelis 1.4		192 Atnepos	. 5
6. Tritavi 7	Abpatruus 5.1		Propatruꝰ 4.1		Proſubpatruus Magnꝰ vel* 3.3		Proſubconſobrinꝰ 2.4		Abpatruelis 1.5	448 Trinepos	. 6

* Conſobrin. ſecundꝰ.

GOTTFRIED WILLIAM LEIBNIZ *Arte Cobinatora* LEIPZIG, 1666 THE WARNOCK LIBRARY Octavo